

§. XIII. Ipse Rœllius determinationem illam clarissime ita tradit Comment. pag. 736. Proorizein est rem aliquam prædeterminare, & antequam existat vel fiat, apud se quasi definire & certis limitibus circumscribere, atq; adeo certum aliquem finem certaq; ad illum media constituere, & sibi præstituere, prædefinire, ac prædecernere. Ut quando Deo tribuitur, nihil aliud significare possit, quam istiusmodi certum immutabile decretum, quo certum modum ac fines definiverit, quos ultra citraq; nihil fieri possit, & cui omnia, tam media, quam finis, tam locus, tempus ordo, numerus & reliquæ peristatæ, quam res & personæ accurate in eventu convenire, & conformari debeant. Hunc proorismos appellat p. 1007. Prædefinitionem, addita hac explicatione. Ostendit Apostolus primam causam & originem tanti beneficii esse, PRÆDEFINITIONEM ipsorum secundum propositum ejus, qui omnia, in omnibus operatur ex consilio voluntatis suæ. Quæ sic declarat: Quid sit proorizein, dictum est ad v. 4. Scilicet animi proposito & decreto rem aut actionem, earumq; modum, formam, condiciones, ac fines accurate apud se determinare, & in idea, quasi, deformare ac delineare. Est ergo proorismos norma, rei & actionis. Esse autem proorismos istum conjunctum cum efficacia operatione ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, haud diffitetur. Idem sentit p. 1012. Propositum; inquit, & Consilium Dei efficax esse & non carere, eventu; eo ipso clarissime docet [Apostolus,] quod affirmat, ipsum omnia, quæ decernit, energie efficaciter operari & efficere secundum consilium voluntatis suæ. Si ergo omnes res & actiones decreto suo & actuali operatione determinat Deus, etiam ad actiones moraliter malas sive peccata peccantes decreto suo & actuali operatione determinat.

§. XIV. Quamvis vero hunc objectum sibi scopulum sic, effugere conetur Rœllius l. c. pag. 1012. Quando Deus OMNIA OPERARI dicitur ex consilio voluntatis suæ, manife-